





4.

DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICA,  
DE  
**EO, QVOD**  
**NEMO AEGRO-**  
**TORVM MORIATUR**  
**EX MORBO,**  
    QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC  
**DOMINO**  
**DOMINO CAROLO,**  
BORVSSIAE PRINCIPE, MARCHIONE  
BRANDENBVRGICO, RELIQUA,  
P R Ä S I D E  
**FRIDERICO HOFFMANNO,**  
COLLEGII MEDICI h. t, DECANO  
**PRO DOCTORIS GRADV,**  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**CAROLVS SIGISMUNDVS Sieffertis**  
BEROL. MARCHICVS.  
A. D. MAII M. DCC. XVII.  
H. L. Q. C.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE  
TYPIS JOHANNIS CHRISTIANI ZAHNII,  
Acad. & Senat. Hallensis Typogr.

DIESER TATIO IN AGUARIA MEDICINA  
EO QVOD  
NEMO AEGRO  
TOM MORTALITATI  
EX MORBO  
RECOLTE MAGNIFICENTISSIMO  
TERRITURUM PARMACIA AC  
DOMINO DOMINA  
DOMINO CAROLO  
SOPASSIAE PRINCIPIS MARCIIIONE  
BURNONIUS RICCIUS NEPTOLEMUS  
FRIEDRICO HOLTZMANNO  
GOTTERIUS MELCHIUS DE CECINO  
PRO DOCT DRISGRADA  
CAROLAS SIGISMUNDAS GYMNA  
AEGYPTORUM ET RICCIUS  
HEROLD W RICCIUS  
A D MINI MM MDCC XCV  
JANES IOHANNIS CHRISTIANI VAHNII  
AGD GENESE HISTORIE TYPICAE



DISSENTATIO SOLENNIS,  
DE EO, QUOD  
**NEMO ÆGROTORUM**  
**MORIATUR EX MORBO.**

Ueimadmodum in tota nostra arte  
plura adhuc sunt sensui ac rationi  
abscondita, præsertim que ad pri-  
mas causas motuum in corpore  
nostro & modum operandi, tam  
causæ morbificæ, quam remediorū  
attinent: ita etiam maxime omni-  
um illud observandum in patho-  
logicis, ubi magna rerum eo spectantium confusio  
reperitur. Perpauci enim morborum origines atque  
primordia, eorumque progressum veramque indolem,  
& quomodo has vel illas corporis actiones laudent vel  
symptomata lethalia producant, recte & debito ordi-  
ne prosequuntur. Plurimi nesciunt verum & forma-  
lem conceptum morbi, causæ morbificæ & sympto-  
matum, sæpius promiscue hi termini sumuntur & in-

A 2 ter

DISSERTATIO INAUGURAL MEDICA DE EO QVOD

ter se confunduntur, adeo ut res præternaturalis, quæ alias sub nomine causæ morbificæ veniebat, jam morbus dicatur, alio tempore symptomata audiat aut vice versa: & ob tantam rerum & veri nexus causalis confusionem plures nesciunt, quomodo ex morbo oriatur symptomata, quis verus morbus sit dicendus & quænam causa sit hujus vel proxima vel remota, nesciunt præterea saepius, num æger, ex morbo acuto vel etiam chronicò defunctus, morbo aut symptomate perierit. Communis est opinio, morbo stricte sic dicto interire homines, si autem rem medice & paulo accuratius examinamus, nostra est sententia non morbo, sed effectibus morbi, qui sunt symptomata corporis nostri materialis destrui & tristissimum ejus interitum sequi. Id quod jam in præsenti exercitio inaugurali, secundum doctrinam & ductum Exo. Rivini Lipsiensis Professoris celeberrimi, Præceptoris summopere devenerandi, demonstrare propitio Nmmine annitar.

II. Ut autem nostra hæc, quam suscepimus, tractatio, non careat suo usu atque fructu & totum negotium paulo clarius dubitantibus vel harum rerum ignarisi elucescat, præmittendum esse duxi, quid per morbum, quid per symptomata, quid per causam morbi intellectum velim. Morbus itaque mihi est partis cuiusdam internæ, ad vitam spectantis, præternaturalis constitutio sive læsio, illud vero, quod hanc læsionem proxime & immediate inducit, veræ & proximæ morbificæ causæ titulum meretur, id vero, quod ad generationem hujus causæ proximæ contribuit, vel etiam ipsam partem ad recipiendam hanc causam disponit, causa mediata vel etiam antecedens, procatartica vel etiam remota, quæ dispositivæ agit, vocari solet, effectus vero læsæ & præternaturaliter constitutæ partis, qui consistunt

sunt in læsionibus functionum corporis nostri, quæ sunt vel vitales, vel naturales aut animales, vocantur symptomata. Nunc vero quæstio occurrit: num homo, qui vitam cum morte commutavit, mortuis fuerit morbo, an potius symptomate? Nos tuemur hanc sententiam, hominem non proxime & immediate ex morbo, sed ex hujus symptomatibus perire.

## §. III.

Ut autem hæc adsertio ex mente Excell. Præsidis probetur ex paulo evidenter fundamento, placet primo per diligentiores anatomen corporum ex morbis defunctorum perscrutari veras mortis causas. Jam vero illud memoratu admodum dignum est, quod, sive quis ex violenta, sive naturali morte intereat, plerumque causa mortis visceris vel partis cuiusdam sphacelatio seu putrida & fœtida corruptio aut purulentus abscessus, partium quarundam consumtio, aut pernicialis sangvinis vel humoris in cavitatibus, vel in capite vel thorace vel abdomine extravasatio sit. Hæc vero & proximæ sunt causæ mortis, quia nempe ejus ingenii sunt, ut motus istos vitales, qui sunt in corde atque arteriis, inque fibris corporis nostri & qui universum sangvinis circuitum & ab eo dependentes secretiones & excretiones moderantur plane extinguant. Hæc vero extravasationes & corruptiones non sunt ipse morbus, sed demum ex morbo producuntur, quæ si adsunt, mors in procullo est. Quis enim vellet adfirmare in phthisi, in hydrope, in inflammationibus, in acutis & malignis febribus ejusmodi graves & abominabiles læsiones & corruptiones jam tum, cum morbus incepit vel etiam progressus fuit, adfuisse, sed potius hæc omnia successive e morbo evadunt ac fiunt: & mors etiam paulatim &

A 3

suc:

successive paratur atque ex morbo progignitur. Ex quo jam clarissime apparet, quam perverse & vulgus & magna etiam medicorum cohors judicet, si post mortem alicujus hominis anatome facta sphacelosae ejusmodi partium corruptiones vel extravasationes deprehenduntur, morbum plane fuisse insanabilem, neque ullo modo, per medicinam etiam exquisitissimam, tam feralem & funestam læsionem tolli potuisse audacter pronuntiant. Verum enimvero perversissimum certe hoc est judicium & quod imperiti medici sæpius, apud rerum medicarum ignaros, pro magno præsidio utuntur. Illud quidem certum est, mortem habere adæquatam & veram causam, sine qua non mors fieri potest, sed quæstio est: an morbus, quo laboravit æger, in hac exitiali læsione constiterit, quod neutiquam adfirmare possim, quia hæc demum ex morbo, sæpius male curato, progenita fuit. Igitur quæstio ita formari debebat, annon mortifera hæc læsio, quæ anatome manifestatur, potuerit convenienti remedio averti & præcavari.

IV. Sed ut hæc adsertio, quæ est: ex symptomatibus magis, quam ex morbo perire homines, adhuc clarior evadat, in medium jam placet adducere eos, qui ex venenis moriuntur. Notissimum est penetranti corrosione operari illa metallica arsenicalia & mercurialia vel ex regno vegetabili draftica purgantia, in tunicas ventriculi & intestinorum nerveas, illas lancinando, exedendo, hinc etiam post mortem & maculæ sangvineæ vel dilacerationes tunicarum membranosarum, imo foramina yisuntur, vel etiam inflammations has partes ob-sidentes conspiciuntur. Læditur itaque membranosa ventriculi & intestinorum pars a veneno, inque eo consistit morbus, ecquis vero est, qui ausit adfirmare, hanc dila-

dilacerationem vel erosionem tenuissimarum fibrillarum ventriculi in se spectatam, aut etiam sanguinis in vasis stasim, mortis tam celeris & inopinatae fuisse necessariam & absolutam causam; præsertim cum experientia testetur, saepius exulcerationes ventriculo & intestinis per longa tempora infedisse. Profecto nemo ex harum tunicarum exsione poterit sublationem motuum vitalium demonstrare. Res itaque profecto aliter se habet, moriuntur neque homines ex symptomatis gravibus, quæ hanc læsionem sequuntur. Nam, si a véneni particulis corrosivis & causticis celerrime & vehementissime subtile & teneræ nerveæ membranæ vellificantur, arroduntur, tunc spastica & fortior constrictio harum membranarum fit, ita ut ab hac constrictione sanguinis circuitus per partem affectam cohibeatur, qui violentus spasmodus mox universum systema nervosum in consensum trahit, adeo, ut ipsum gravissima symptomata, dolores horrendi, tortura, anxietates, extremus virium languor, partium exteriarum refrigerationes, alvus adstricta, pulsus debilis & parvus, animi deliquium, quin imo delirium & epilepsia insequantur. Si quis itaque velit avertire mortem, oportet has spasticas constrictiones generis nervosi impedire, quod fit oleosis, pinguis, copioso lacte adsumto, unde videmus, circulatores ingentem horum venenorum copiam, citra singularem noxam, ad stuporem populi, subinde devorare, quorum arcantum unice in eo consistit, ut oleosis vel pinguis adsumtis, spicula salium causticorum obtundant & sic spasmos præpediant & avertant. In hujus rei ulteriore probacionem suscipiam primum exempla morborum vere internorum & quidem acutorum, deinde chronicorum, postmodum morborum quorundam s. d. ab autoribus externorum,

V. Ita.

V. Itaque primum exemplum sint febres sic dictæ acutæ, seu ardentes: describuntur autem ab autoribus sequentem in modum, quod in illis reperiatur æstus, sitis plane intolerabilis & durantes ab invatione ut plurimum ad septimum, vel nonum, rarius ad decimum quartum diem. Posita descriptio autores reducunt morbos ad certam classem & hasce febres aliqui ad morbos spirituum, dum omnes morbos generaliter vel in humoribus vel in spiritibus, vel in partibus solidis hærere afferunt: alii autem ad morbos turbatæ mixtionis sanguinis referunt, hi enim omnes morbos vel in cacochymia, vel in turbata mixtione sanguinis consistere affirmant. Post morbum inquirunt in subjectum seu partem affectam, eandemque, juxta diversam hypothesin, vel spiritus, vel massam sanguineam esse dicunt. Cognita parte affecta causas cognoscendas esse monent, easdemque juxta priores spiritus, qui vel ab injuria aeris, vel a frigore, æstu radiorum solitium, vel ab erroribus diætæ, vigiliis diuturnioribus, motu corporis nimio, metu, ira, terrore, mœrore irritati sunt; juxta posteriores vero sanguinis maximam perturbationem esse ajunt, dum particularum ejus dispositio adeo immutata est, porique adeo materia heterogenea repleti, ut materia subtilis ubique in transitu suo impedimenta nanciscatur, vimque inferre necesse habeat, iis omnibus in locis, ad quæ appellit, unde sanguinis insignior & acceleratior motus.

VI. Symptoma, juxta nominatam descriptionem, sunt præsertim æstus, sitisque plane intolerabilis, his accedunt adhuc alia, videlicet sudor nimius, inquietudo &c. Ex hisce circumstantiis sensibilibus seu symptomatibus, ex morbo atque causis nunc formant indicantia & indicationes, juxta quæ postmodum therapiam instituunt, scilicet colligunt symptomata & contra quodvis remedium aliquod formulas ingreditur v.g. contra æstum nitratæ, sal ammoniacum, contra sitim spiritus nitri dulc. &c, contra inquietudines cinnabarina, tanquam specifica, castoreata, cordialia ut lap. bez. orient. lap. s. pretios. perlæ &c. sed curaturne hisce febris ardens? experientia quotidiana aliud quid monstrabit, nempe æstus & sitis, sudor,

sudor, inquietudo &c. ex hisce adhibitis medicamentis adaugentur, supervenient lœsæ functiones animales, exinde oritur epilepsia, deliria, haec introducunt plenariam resolutionem M. S ut ex hac functiones vitales ultimato lœdantur & aboleantur, sic provenit mors non placida, sed summe violenta, maximisque symptomatibus urgentibus stipata, quod & vulgus jam novit, inquiens, der Mensch hat einen schweren Tod ausstehen müssen und wolte sich das Herz nicht brechen.

VII. Nunc quero: interiitne ægrotus ex morbo, aut symptomatibus? ex morbo eundem interiisse quidem affirmant, quando ajunt, der ehrliche Mann ist am hizigen Fieber gestorben/ quod tamen neutquam ab iisdem probari poterit, cum haec omnia tam febris, æstus, sitis, sudor nimius, inquietudo, quam ultimato superveniens epilepsia, deliria tantummodo symptomata sint, minime vero morbi. Non enim sunt lœsiones actionum, sed ipsæ actiones lœsæ, quod quilibet judicare poterit, qui legitima fundamenta pathologæ novit. Igitur haec febres sic resolvendas esse puto, scil. affectus primarius est intemperies, & quidem calida partis alicujus internæ, quæ plerumque ignoratur & non attenditur, hujus intemperie vero formalitas & causa proxima consistit in motu spirituum accelerato, progressivo ac intestino tam spirituum vitalium in sanguine, quam animalium in substantia partis lœse: causa vero antecedens vitium aliquod humorum, quod ordinarie in hisce febribus autoribus s. d. acrimonia biliosa, diversæ speciei, pro diversitate subjecti esse solet. Causæ procatarctice, seu primitiva sunt sex res dictæ N. N. ex quibus ultimato communissus error causa occasionalis nomen obtinet.

VIII. Ex qua formalitate morbi & connexione causarum nunc sequuta sunt primo symptomata functionum animalium, scil. tactus lœsus, ut frigus & calor, qua propriæ febrem constituunt, ex calore postmodum functio naturalis lœsa, scil. sitis intolerabilis, ac symptomata excretorum, sudor immodeicus ortus: hisce continuantibus porro functiones vitales lœduntur, videlicet M. S. resolvitur, circulatio sanguinis turbatur, quod monstrat pulsus febrilis atque anxietates præcordiorum & respiratio p. n. a spirituum in sanguine, vitalium dictorum, motu anteā tantum progressivo, nunc & intesti-

no summe accelerato introducto: tandem etiam motus spirituum animalium dictorum primario & potissimum intra cerebrum hoc modo oritur, dum sanguis arteriosus, per arterias carotides ad cerebri substantiam adducitur, spiritibus summe accelerate commotis, hi spiritus vitales ex sanguine arterioso, ubi cum succo s. d. nervoso, per extremitates ultimas arteriarum, in substantiam cerebri & in spiritus animales abeunt & convertuntur, ipsos spiritus animales, in cerebro jam jam existentes, ad eundem motum acceleratum pariter abripiunt, hinc deliria, motus convulsivi & horum summus gradus epilepsia & tandem symptomata functionis vitalis plenarie abolitae, seu circulatio sanguinis atque respiratio plane cessans, i. e. mors. Ergo ejusmodi subjecti interitus neutquam immediate ex morbo, videlicet intemperie calida alicuius specialis partis, sed potius ultimato & formaliter ex functionibus vitalibus extinctis, extincta quoque vita; & sic ex symptomatibus.

IX. Converto me ad aliud exemplum & quidem ad febres malignas cum exanthematis, petechiis &c. Describuntur vero haec, quod ab initio malignitatem suam quidem occultent, circa accessum autem statim vires cum appetitu prosterant, aestus autem & anxietas praecordiorum, cum inquietudine summa, in quibusdam mature in aliis tardius, notetur. Cum autem haec febres ab initio suam malignitatem occultent; probe easdem a catarrhalibus distinguendas esse monent, ne ab iisdem decipiamur, ex pulsu scilicet, in hisce febribus si ab initio pulsus inveniatur debilis, tardus, actardior quam secundum naturam, non erit febris catarrhalis sed maligna. Pro parte affecta seu subjecto venditant aliqui cor, idque probant primo exinde, quia cor fons caloris nativi dicitur & ex quo calor p. n. toti corpori communicatur; secundo ex pulsu, quia in cordis actione & pulsifica facultate, spiritibusque vitalibus sanguini arterioso immersis, dependet. Alii iterum in spiritibus, ac alii in M. S. sedem hujus malii querunt.

X. De eausa varie judicant, alii enim spiritus quidem accusant, irritatos vero multifarie v. g. a metu, ira, moerore, alii feminum verminosum, ac iterum alii miasmata, provenientia a particulis arsenicalibus e terrae visceribus avolantibus, que aeri commissa, ac cum eo per inspirationem hausta, sanguinem subeunt & in ipsis parti-

NEMO AEGROTORVM MORTATVR EX MORBO.

particularum poros sese insinuant, æther vero cónsuetus accedens, aditum per jam occupatos poros occlusum reperiens, particulas istas duras, scindentes, profundius in particularum sanguinis poros adigit, duratque ista sanguinis turbatio, donec easdem dissecaverit & æther cruris massam libere iterum permeare posuit. Symptoma circa easdem occurrencent sunt prostratio virium simul cum appetitu, astus, sitis, anxietas præcordiorum cum inquietudine summa, purpura, petechiae &c. &c.

XI. Hisce prämissis nunc tendunt ad formanda indicantia & indicationes, juxta diversitatem symptomatum & causarum, juxta quæ postmodum therapiam instituunt, quæ quidem cum antecedentibus febribus ardentibus convenient, excepta malignitate, purpura ac petechiis, quæ sui expulsionem, juxta autores, per expellentia ac alexipharmacæ postulant v. g. liquorem cornu cervi succin. essentiam castorei, tincturam coralliorum cum spiritu cordis cervi, in forma ficca nitrum antimoniatum, arcanum duplicatum, cinnabarin nativam & antimonii &c. sed infelici ut plurimum eventu, omnia symptomata enim exacerbantur, purpura, quæ antea rubra forsitan fuit, evadit alba, aut ultimato nigra, accedunt deliria, epilepsia, deinde lepyria & epiala & sic mors maxime violenta.

XII. Quid vero sentis de hisce febribus, putasne hunc ex morbo scil. febre maligna diem obiisse supremum? valde dubito. Lubenter autem scire vellem quid sit maglinitas. Hujus formalitatem nondum sufficienter explicatam deprehendi, ut in curatione firmum concesserit fundamentum: quot capita enim tot sensus & explicaciones malignitatis. Veteres expresserunt eandem per occultam qualitatem, hanc tanquam obseuram & nihil significantem recentiores rejecerunt & turbatam mixtionem sanguinis malignitatem esse ajunt; quid autem vult haec turbata mixtio sanguinis? naturalis enim mixtio sanguinis adhuc ignoratur; quia deficit vera ac naturalis physica & physiologia, quod satis posset demonstrari, quid nunc de p. n. & turbata certi determinari poterit? proflus nihil. Alli malignitatem in morbis sic explicant, scil. quando morbus pejora symptomata secum fert, quam pro ratione sue naturæ ipse morbus est; sed unde novi haec symptomata esse pejora aliis regeris: ex eventu, quando scil. haec symptomata concomitantia

ægrotum perimunt. Respondeo, parum aut nihil utilitatis exinde nascitur respectu ægrorum, sic enim nunquam certus esse potero de malignitate, usque dum ægrotus e vivis excecerit.

XII. Et ex quoniam indicante fluit haec indicatio; ergo dentur expellentia? respondebis forsitan; malignitas adest & illa expellenda, unde autem rationaliter non nominaliter hec indicatio fluit, cum formalitas malignitatis adhuc ignoretur, committis petitionem principii & sic semper obscurum per æque obscurum ac falsum per æque falsum probas. Adhuc alii, rem acutetigisse putantes, adducent forsan s. d. seminium verminosum, tanquam ultimum refugium ad explicandam & probandam hancce indicationem, sed quibus rationibus? utique maxime lubricis & judicio humano aliquid tantum persydentibus, probabilibus non vere probantibus. Lubenter enim scirem, qua ex ratione lethiferum evadat hocce seminum verminosum, quando retrocedit ab asumpto & lenissimo purgante, cum tamen antea in corpore sine symptomatib[us] adeo atrocibus adfuerit? respondes; experientia id nos docuit. Ratione quæsivi non experientiam, haec enim, teste Hippocrate, fallax, & per se nihil probat, cum tantummodo provocatio ad autoritatem sit, quæ autem intellectum hominis non convincit, sed eundem tantummodo credulum existere efficit.

XIV. Me judice fortassis melior, quod tamen aliis dijudicandum relinquo, & in præxi majorem utilitatem præbens, ex formalitate malignitatis desumptus conceptus, sequens esse poterit: nempe motus spirituum vitalium progressivus & intestinus acceleratus M. S. ad resolutionem disponit, frequentem in modum. Scil. morbus intemperiei calidæ alicujus partis internæ est affectus primarius, uti in antecedentibus febribus, quod comprobatur primario & magis sensibiliter lœsa functio, sub nomine symptomatis, in hac vel illa regione corporis, potissimum post mortem, cum in quibusdam febribi maligna intereintipsis pars quedam interna sphacelata deprehendatur; hujus morbi intemperiei causa proxima itidem motus spirituum acceleratus, progressivus & intestinus, tam in spiritibus vitalibus in sanguine, quam animalibus in substantia partis lœsa.

XV. Causa antecedens vero vitium aliquod humorum & quidem autoribus s. d. acrimonia biliosa, vere abundans in principio,

pio, post usum vero horum medicamentorum salinorum, volatili-  
um inepit applicatorum, spiritus animales dicti in substantia partis  
laesa magis irritantur & in motum magis inordinatum concitantur;  
hicce motus, propter summan mobilitatem spirituum animalium,  
& vitalibus in sanguine communicatur, hi prium partes sanguinis  
aquosas, sub nomine insensibilis transpirationis adactae, i. e. sudoris  
minimi, expellunt, hisce expulsis salia in M. S. existentia, liberata a  
vinculo suo inporos substantiae partium solidarum sese magis insi-  
nuant, & sic ingrate afficiunt, ac spiritus insitos magis magisque  
commovent & simul cum iisdem, poris dilatatis, M. S. quoad totam  
substantiam, per poros partium solidarum transgreditur ad habitum  
corporis externum, ibidemque spiritus fere plane evanescunt, reli-  
ctis sub nomine purpuræ malignæ & petechiarum colore rubrarum,  
si scil. M. S. quoad totam substantiam egressa fuerit; si autem partes  
salinae magis cum partibus terreis aquosis & paucissimis sulphureis  
unite fuerint, purpura alba exinde evenit. Si vero spiritus in totum  
guttulas sanguineas, quoad totam substantiam, ad habitum corporis  
delatos deserant, purpura nigra, tanquam pessima, oritur, re vera  
enim est sanguis sphacelatus i. e. omni vitalitate prorsus destitutus.  
Exinde nunc & hoc phenomenon explicari facile potest, quare  
purgantia hisce in morbis non convenient, partes enim ex M. S. re-  
solutæ non sunt e corpore eliminandæ, sed potius cum reliqua M.  
combinandæ, e contrario in purpura benigna i. e. a salibus vere  
abundantibus proveniente, purgantia egregio cum effectu adhi-  
bentur, aliter enim sese causæ internæ in hac purpura habent.

XVI. Causæ procatarcticæ sunt nominatae sex res N. N. ex  
quibus ultima, quæ ut plurimum pathemata animi graviora esse so-  
lent, causa occasionalis sub nomine venit. Quod reliqua sympto-  
mata concernit, nempe deliria ac motus convulsivos, in antecedentib-  
us s. 5. horum modum fiendi descripsi. Supereft vero adhuc  
leipyria in qua scil. calor & frigus simultaneæ adsunt, nempe spi-  
ritus, motu summe accelerato constituti, ad hancce partem internam  
laesam copiosius afflueentes, ibidem inflammationem instituunt &  
sic, dum se ab hac causa molesta liberare conantur, habitum corporis  
externum derelinquent: hinc oritur calor maximus internus; ex-  
teriora vero frigent. E contrario in epiala sic sese res habet, adest  
enim

enim plenaria substantiae partis affectæ mortificatio i. e. sphacelus, si spiritus hocce membrum sphacelatum, tanquam vere mortuum & cadaverosum, ideoque summe naufragium, derelinquant, & in habitum corporis extēnum maximo cum impetu irruunt, hinc aderit frigus internum & calor adactus externus, imo & cor ipsum hoc modo derelinquent, unde tandem ob sanguinem spiritibus orbatum, fluiditas & circulatio desinit, & ex hac & respiratio cessare & sic subjectum vitam cum morte necessario commutare debet. E. & hujus ægroti obitus non ex necessitate ac magnitudine morbi, vide licet intemperie calidæ partis alicuius interne, sed ex sympt. & quidem ob illegitimam cognitionem malignitatis, per remedia morbum, causam morbificam ac ipsam vitam expellentia, est introductus.

XVII. Ex numero acutorum affectuum adhuc adducam apoplexiā, tanquam affectum sepe accidentē & in quo plurimi ægroti aut interire, aut paralysi postmodum ad minimum correpti miserandam degere vitam coguntur. Describitur autem, quod in ea subito sensus deficiant cum motu & loquela, pulsus vero & respiratio non desinant, nec faciei color mutetur. Pro parte affecta veteres cerebrum, quia in eodem principes animæ facultates peragunt; alii nervos cum spiritibus animalibus & adhuc alii partem cerebri internam diversam venditant. Causam fere unanimi consensu defectum spirituum a refrigerio esse affirmant, ac denegatum influxum, ob poros cerebri pituita seu viscidioribus humoribus repletos ac obstructos. Alii credunt hoc in morbo adesse nimiam pororum cerebri ac plexus choroidei apertōnem ac dilatationem, ob quam facile obstrūctio plenissima cerebri & principii nervorum, ab humore affluente peregrinorū oritur, quo factō influxus spiritibus animalibus denegatur & exinde omnia membra flaccida ac mortuis similia redduntur. Remote vero sanguinem ac lympham crassam & in aliis acrem accusant, quatenus hæc magna in copia extravasa, cerebri poros, ejusque superficiem & principia nervorum obstruere potest. Hinc & duplex apoplexia oritur, nempe humoralis & sanguinea. Symptomata seu signa hujus morbi sunt subitaneus defectus sensuum cum loquela ac motu, pulsus vero ac respiratio non definit, et si difficulter & cum stertore instituitur, nec color faciei mutatur.

XVIII.

§. XVIII. Ex hisce indicantibus nempe morbo, causa ac symptomatibus nunc indicationes formant, sequentem in modum: scil. morbo occurendum esse & quidem curatorie s. d. antapoplectis, quæ simul defectum ac influxum restituunt & excitant, pituitamque viscidam resolvunt. Hinc in subjectis plethoriciis V. S. instituunt, vesicatoria, aut cucurbitam cum multa flamma, aut clysmata acerrima adhibent, interim spirituosa, volatilia, aeria totam absolvunt curam. Sed quo eventu? In plurimis ægrotis symptomata exacerbantur, nempe color faciei antea naturalis, postmodum rubicundus & tandem lividus evadit, stertor ac difficultas respirandi continuo adaugentur, & ultimato æger suffocatur & cum morte commutat vitam. Post mortem sectionem instituunt, causamque hujus mali querunt & inveniunt pulmones ac reliqua organa vitalia nigra i. e. gangræna & sphacelo correpta. Si tunc ex iisdem queratur, quoniam morbo hicce ægrotus extinctus sit, statim provocant ad gangrenam & sphacelum organorum vitalium, inquietes er hæste sterben müssen / denn der kalte Brand hätte darzu geschlagen. Sed audi? anne haec gangrænia & sphacelus evitari potuerunt? aut ex inepta tua applicatione medicamentorum s. d. antapoplecticorum, illegitimaque cognitione theoretica ortum traxerunt? idque probabo: agnoscitur difficultas respirandi cum stertore, causam, quam in theoria posuisti, defectum spirituum; nunquam id demonstrabis.

§. XIX. Igitur juxta antecedentem methodum & hujus morbi modum fiendi & resolutionem pathologicam tentabo, ut appareat, quod & talis miser non ex morbo, sed ex symptomatibus mortuus sit. Scilicet apoplexia juxta modum fiendi in illis, qui moriuntur i. e. in summo gradu, nihil aliud est, quam merus spasmus, seu contractio fibrarum, principiorum nervorum & organorum ad vitalitatem concurrentium, utpote pulmonum, cordis, dia phragmatis &c. Pars affecta sunt organa vitalia & principia nervorum. Causæ vero hunc spasmodum introducentes sic se habent: nempe procatarractæ sunt sex res N. N. vel materialiter, vel idealiter ad productionem salium, aut vere abundantium, aut successive ex resolutione M. S. resultantium, conferentes. Haec partes autem salinæ in corpore existentes causam constituunt ante ce-

cedentem omnium spasmorum, quæ tamdiu in corpore circa has vel illas partes insensibilis delitescit & quidem in specie h. l. in apoplexia, circa partes vitales, donec ex iisdem rebus N. N. quædam contingat causa occasionalis, hanc antecedente in commovens & in actum ducens, quales ordinarie pathemata animi graviora, ac spirituosis potus, excessive haustus, esse solent, unde motus spirituum progressivus summe acceleratur. Potissimum circa eas contingit partes internas, circa quas causa antecedens specialiter collecta & quas magis sensibiliter afficere potest; qui motus spirituum summe acceleratus, ut causa apoplexiæ proxima, morbum spasmum nomine in pulmonibus corde, diaphragmate introducit: unde corde, pulmonibus cum diaphragmate legitime se se non moventibus & circulatio sanguinis & respiratio immunitur, ac turbatur ab initio, & successu temporis ultimato plenarie desinunt, quæ functiones læsæ, seu symptomata primario cognoscuntur ex pulsu & respiratione: ac tandem secundario externa symptomata producunt; nimurum motum & sensus externos ad tempus abolitos: & id quidem hoc modo:

§. XX. Dum natura occupata est in hisce partibus, ~~circa~~ hanc causam antecedentem molestam removendam, ideo majori in quantitate ad cor ac reliqua organa vitalia affluit, fibrasque cordis contrahit, ut cor legitime pulsare & circulationem sanguinis promovere nequeat. Corde nunc legitime non pulsante, sanguis ubique stagnat & colligitur præter modum, quod iterum innoscit, ex facie primum rubescente & tandem livescente, ita præcipue subtilioribus in ramulis sanguiferis, quales in cerebro existunt, quibus a sanguine stagnante repletis & intumescentibus, principia nervorum comprimuntur, motus spirituum influus, ad organa sensoria & partes externas reliquas impeditur, & sic sensus & motus externus abolentur. Ex quo sanguine nunc stagnante & nervos comprimente, si etiam infundibulum comprimatur, perfacile erit demonstrare, quid sibi velit differentia, inter apoplexiæ sanguineam, & humoralem, quando talem sanguinem & lympham post mortem intra cerebrum deprehendunt.

§. XXI. Ex hoc modo fiendi & formalitate apoplexiæ, nunc non sequitur indicatio: ergo dentur antipoplectica i. e. salia

VO-

volatilia, acria, aromatica, spiritus ardentes &c. hisce enim adhibitis, spasmī causa proxima i. e. motus spirituum summe acceleratus, adaugetur, qui & in organis vitalibus inflammationem & gangrēnam instituit, ex hoc oritur sphacelus & sic plenarius usus functionum primum animalium, ultimato vitalium abolitus i. e. mōris per suffocationem introducta. Ergo & hujus ægri nex quoque non ex apoplexia, tanquam ex morbo i. e. obſtructione cerebri, ab autoribus descripta, sed juxta antecedentem demonstrationem ex foliis symptomatisbus vel absolute, vel respective concurrentibus, scilicet gangrēna, sphacelo & suffocatione non impeditis, fuit accelerata.

§. XXII. Demonſtrara ac comprobata theſi mea, aliquot exemplis mortuorum non ex s. d. morbis acutis, conſeram me ad morbos chronicos, ex quibus & mihi incumbet probare, neminem mori posse ex iisdem, sed potius ſemper ex symptomatisbus ſupervenientibus. Sit ergo primum exemplum s. d. calculus renum, qui deſcribitur, quod in regione lumbari dolorem ſecum ferat, coniunctum vel cum ſuppreſſione lotii, vel stranguria, vel ardore urinæ, vel miſtione cruenta, purulentave. Pars affecta in eodem ſunt präcipue urinæ organon ſecretorium scilicet renes. Cauſam ſi querās, autores valdopere inter ſe diſſentiantur, alii enim humorem crassum, lentum & pituitofum a calore exſiccatum, alii mucilaginem tartaream, alii ſpiritum lapidificum, alii bilem viscidorem, cum acido concurrentem, accūlant; ſymptomata präcipua ſunt, dolor in regione lumborum, febris ex dolore, vomitus, ſuppreſſio lotii & alvi, stranguria, ardor urinæ, miſtio cruenta, ſtupor cruris, ſingultus &c.

§. XXIII. Hisce prämissis, tendunt ad therapiam, formant indicationes, nempe primo curatoriai, calculus eſſe frangendū & e corpore eliminandum, medicamenta autem, ad eandem absolventam, adeo varia repertis, ex omnibus enim clasibis materiae medicæ, quædam aliquando proficia fuſſe, autorum obſervationes teſtantur v. g. aliquando aquosa terrea, lapidosa, falina, ſulphurea diverſimode inter ſe mixta, & ſepe adeo imbecillia ac debilia calculus frangentia, que nec ſtramen deſtruere queunt, ut faxifraga &c. tot ſpecifica & appropriata & diuretica, tot tincturas, balsamos ac olea nephritica, a magnis viris maximope-

re commendata, quæ certe non nisi ex occulta qualitate operationem & effectum suum exercere queunt. Sæpissime quoque hæc omnia frustra adhibentur, accedit mictio cruenta, suppressio urinæ ac stranguria, dolor in dies augentur, concurrunt vomitus, satis, febris leipyria, singultus, epiala & tandem ex cruciatibus summis, horrenda mors.

§. XXIV. Nunc quæritur, an hic miser discesserit ex morbo, nec ne? sed quis est morbus in hoc affectu? putasne calculus? nego ac pernego: morbus enim est læsio substantiæ calculi vero, est ipsum lædens substantiam partis solidæ, quod & veteres jam cognoverunt, ideo calculus rem toto genere p. n. esse dixerunt & inter causas retulerunt. Quamdiu enim calculus læsionem seu morbum non introducit, tamdiu nemo in semetipso calculus adesse novit, morbus autem sine sensatione ingratia, seu læsa functione i. e. symptomate, existere nequit. Ergo calculus non est mörbus, sed ipsa causa morbifica, nempe vitium humorum pro differential temperamenti subjectorum, quoad partes nunc magis terreas, nunc magis lapidosas, nunc magis salinas diversi generis, & sulphureas diversimode inter se mixtas ac prædominantes, partibus aquosis & spiritibus animalibus nunc magis nunc minus destitutas, quod monstrat diversa substantia & soliditas calculi, causam proximam constituentes morbi alicujus vel positionis, vel solutæ unitatis in renibus, dum fibræ harum partium aut comprimuntur, aut distenduntur, aut plane lacerantur, unde nunc symptomata, in antecedentibus nominata, proveniunt.

§. XXV. Causa antecedens vero in fiendo calculo, est motus spirituum acceleratus, primum progressivus, deinde & intestinus, qui partes hasce nominatas, alias M. S. constituentes, nunc vero in renibus vel vere abundantes, vel ex resoluta M. S., hoc modo colligit, scil. partes fluidas aquosas cum sua propria substantia copiosius eliminando & sic debilitando, hinc consistentia collecta hujus substantiæ oritur, ac figuram assumit, pro conditione loci, ubi hæret. Causæ procatarrheticæ, in aliis sunt excessus alientorum magis terreorum, lapidolorum, ac salinorum, in aliis in specie abusus veneris, refrigeratio ac nimia commotio regionum lumbarium, quod vitium humorum, specialiter jām collectum

lectum, præexistens in renibus, sub nomine calculi, tandem a causis occasionalibus, mediantibus spiritibus, in actum deducitur, ut tale vitium humorum collectum & concretum, sub nomine calculi, suis extremitatibus acutis, pungentibus, diversimode ipsam substantiam renum lœdat, & sic spiritus animales in eadem hærentes, ingrate afficiant, hinc symptoma dolor, qui dum spirituum motus quotidie adaugetur, & spiritibus animalibus communicatur, tandem febrem symptomaticam producit, & quidem prium intermittentem, postmodum continuam & continentem, ac in specie tandem leipyriam i. e. inflammationis majorem gradum seu gangrenam, ultimato & epialam seu sphacelum, & sic ex circulatione sanguinis ac respiratione, ut symptomatisbus functionum vitalium, abolita, provenit mors illa horrenda ac violenta. Ergo nec hujus subjecti fatum a calculo tanquam a morbo immediate, sed a symptomatisbus summe urgentibus, minime vero convenienter mitigatis, sicut exortum.

§. XXVI. Alterum exemplum sit s. d. hydrops, seu anasarca, quæ describitur ab autoribus, quod in ea universum corpus pallescens ac aqua turgidum existat. Pro parte affecta venditant veteres hepar, tanquam instrumentum sanguinis generativum, alii mesenterium, alii lienem, ac alii universum corpus, genus venosum ac nervosum. Ad causas si deveniunt, veteribus causa proxima est materia, ad nutritiōnem inepta, i. e. serosa, inter carnem & cutem collecta, sua copia partes corporis distendens; antecedens vero, est sanguificationis frustatio, a frigida hepatis intemperie producta. Juxta recentiores, est feri abundantia & visciditas, ob quam circulationem respuit; interdum quoque oriatur ex vasorum lymphaticorum lœsione a casu. Symptomata in eadem reperiuntur, color pallidus totius corporis, frigus, foveæque digitis impressæ diu durantes, rerentio urinæ, respiratio difficultilis, sitis intolerabilis. Tantalea.

§. XXVII. Finita hac theoria, brevibus commemorata, curationem hujus morbi incipiunt formatione indicantium ac indicationum, ac cum juxta eosdem ipse morbus indicet curatorie, indicationem hanc efficiunt s. d. antihydropicis, iterum tantopere a se invicem discrepantibus, ut neo-medicus vix noscat, quod ex

tot medicamentis ab inicio sumere debeat, præc pue autem commendant viscidiores humores resolventia, calida &c. sepiissime autem, sinistro cum eventu; dum enim differentiam temperamentorum in ægrotis non attendunt, acceleratum & retardatum iisdem medicamentis tractant, hinc accedunt dolor satis atrox, suppressio major urinæ, stranguria, febris, ulcera sphacelata, motus convulsivi & sic mors ipsa.

s. XXVIII. Nunc iterum oritur quæstio: an præsens ægrotus ex morbo i. e. hydrope mortuus sit, nec ne? autores affirmabunt, ego autem ex symptomatibus supervenientibus eundem interiisse postmodum demonstrabo. Hydrops enim, est ipsa abundantia feri, seu partium aquosarum excrementiarum in corpore, quo modocunque facta, & sic non morbus, sed ipsa causa morbifica proxima hujus intumescentiæ; remota vero, seu antecedens, est virtutum spirituum & quidem defectus. Causæ procatarcticæ sunt illæ, quæ non solum principio activo sentiente, seu spiritibus animalibus, sed etiam ipso principio activo, simpliciter destituuntur, & sic ad corpus pervenientes, Princ. Activ. Seat. non solum restituunt, sed etiam idem adhuc magis imminuunt, ex quorum numero præcipua sunt, omnia excessiva aquosa, frigida, potulenta, fructus horæ i.d. frigidius, ut cucumeres, melones &c. etiam omnes excessivæ refrigerationes qvocung; modo factæ, vel in aere, vel in aqua: quæ causa antecedens, seu defectus spirituum præexistens, a causa occasionali quacunque, hoc modo in actum deducitur, dum in ejusmodi subjectis, semper debiliores & parciores excretiones reperiuntur, propter ipsum debile principium activum sentiens.

s. XXIX. Hoc modo fœt habente hydrope & hæc remedia proficia esse credo; quid si autem temperamentum sit magis acceleratum i.e. humoribus magis acribus seu f. d. autoribus acrimoræ obnoxium, quod sepiissime accidere solet, in eodem quoque causæ internæ longe aliter fœt habent, ac symptomata longe diversa a præcedentibus combinata adsunt, scil. calor, sitis ac dolor, causa proxima enim non solum serum viscidum abundans, sed etiam serum fluidum diversimode salibus mixtum, hinc causa antecedens quidem defectus spirituum, sed etiam simul motus acceleratus eorundem particulæ postmodum excitatus. Si nunc hic ægrotus iisdem remediis,

prout

prout antecedens tractatur, aliter fieri nequit, quam ut ab hisce medicamentis salinis, spirituosis, acribus, drasticis purgantibus, vehementioribus diureticis, symptomata functionum naturalium, sitis & stranguria, augeantur, motus spirituum animalium in nervis irregularis concitetur, hinc motus convulsivi, si nunc hic motus irregularis & sanguini communicatur, oritur febris, exinde postmodum sphacelus & ex hac circulatio sanguinis & per consequens, respiratio impedita & ultimato plane abolita i.e. mors. Ergo & hinc ægrotus non ex morbo i. e. hydrope, sed ex concurrentibus symptomatis, brevi ante commemoratis, diem obiit supremum.

§. XXX. Tandem ex numero chronicorum affectuum sit f. d. podagra, affectus inquam, qui simul cum febre ac hydrope, medicorum scandalis, juxta proverbium, annumeratur. Describitur autem ab autoribus, quod sit dolor articuli partiumque vicinarum circa articulum, ab humore acri, articulos cingente & irritante, ortus. Pro parte affecta veteres cerebrum, tanquam fontem ablegam rem catarrhos humoresque acres ad articulos, alii ventriculum, ac alii membranacea ligamenta, ipsos articulos cingentia ac colligantia, accusant. Causam veteres tradunt humorem acrem ac articulorum infirmitatem. Recentiores vero, insignem humorum acrimoniam vel exacido, vel falso, vel bile acriore constantem &c. Ex hac theoria, nunc therapiam inchoant ab evacuantibus, partes affectas illinunt variis remedii spirituosis, volatilibus, oleis narcoticis, involvunt emplastris &c. sapissime autem & interitu ægroti, retrocedit enim & oritur crisis per metaftafin, germ. ajunt, er hat ihn das Podagra zurück in den Leib getrieben. Partes enim internæ exinde corripiuntur inflammatione, gangrena & sphacelo, concurrunt diarrhoea, motus convulsivi & sic postmodum mors gravissimis hisce symptomatis, slipata.

§. XXXI. Nunc quæritur: an hic ægrotus ex morbo scil. podagra e vivis discesserit? plurimi non negabunt, ac culpam transfrent in retropulsionem: quid autem hæc sibi vult? estne podagra vermis, qui expelli ac retropelli potest? igitur meliorem conceptum formalitati rei & praxi magis convenientem liceat mihi trahere de hoc affectu. Nempe causa proxima est, vitium humorum & quidem lympha articularis seu synovia, salibus vel acidis, vel falsis, vel acribus, vel adstringentibus &c. &c. magis abundans, qua-

magis minusve successu temporis inspissatur, & sic dolorem diversum, pro diversitate salium inibi stagnantium, in periostio, ligamentis atque tendinibus supéracentibus, introducit. Causa antecedens, motus spirituum sūmine acceleratus, majori in quantitate hancce lympham acrem ad hosce articulos, cum aliis humoribus adducens specialiter, quod cognoscitur, ex causis procatarethicis & occasionalibus, qui spiritus interim expelluntur, lymphā hac acri remanente & collecta; in parte affecta autem, spiritus insitus ab hac lymphā acri, in maiorem motum acceleratum concitat, hinc dolor fibrarumque contractio seu spasmus, sanguinis impeditus regressus, & hoc modo tumor, rubor & calor, quod demonstrari potest, ex ante nominatis causis procatarethicis & occasionalibus, que pricipue sunt, abusus ciborum salitorum ac aromatisatorum, potuleitorum spirituosiorum, ac nimius motus & incalescentia corporis ex abuso veneris.

§. XXXII. Retropulsionem autem, sic mihi concipio, nempe humores inibi stagnantes, ex usu discutientium, resolventium & repellentium, ad fluiditatem & motum iterum sunt redacti & sic ad M. S. reducti circulantur cum eadem ac viscera permeant, data nunc levissima causa occasionali vel in hoc, vel in alio viscerē, novum mōrbum, antecedenti longe périculosiorem, introducunt, stagnant enim in iisdem salia, spiritus animales, in hisce visceribus existentes, stimulant & in majorem acceleratum motum concitant, hinc dolor & calor, inflammatio & motus convulsivi; si autem haec non mitigantur, motus acceleratus & inordinatus spiritibus vitalibus in sanguine communicatur & magis universalis redditur, hinc oritur febris, accedit gangrēna & Sphacelus, ut sic sangvis vitalitate destitutus, ad circulationem plane ineptus & respirationem impedit & ex hisce functionibus intermissis, ultimato mōris proveniat. Ergo & hicce æger non ex morbo i.e. podagra, siquidem podagra retrocessa amplius non ad fuit, sed ex functionibus, primum animalibus, postmodum vitalibus interrup-  
tis & plane abolitis, ultimum vitæ halitum emisit.

§. XXXIII. Absolutis nunc exemplis, adductis ex morbis internis & quidem acutis ac chronicis, convertam me quoque ad probationem theseos mee, a mōribus, autoribus, dictis externis, defumptam. Ex quibus sit primum vulnus, quod describitur, per

solutionem continua, partium solidarum flexilium, a variis instrumentis introductam. Hæc nunc solutio continua, si a caufa externa i. e. instrumento aliquo, profundius facta in corde, contingat, vulnus ab autoribus nominatur per se & simpliciter lethale. Et si in ejusmodi defuncto queratur, quoniam phenomeno p. n. perierit? statim provocant ad vulnus, quod sanari non potuerit, quia remedia externa eo pertingere nequeunt, interna vero capacia non sunt, hanc solutionem continua counire, nec hemorrhagiam supervenientem sistere. Quid vero est hæmorrhagia? nonne symptoma excretorum, & quidem in hoc casu, circa organa vitalia contingens, qua superveniente circulatio sanguinis impeditur, respiratio aboleatur & sic corpus spiritalibus ac sanguine orbatum, animam ac vitam exhalat. Ergo & hic infirmus, non ex morbo, scil. soluta unitate, immediate sed ex symptomatibus simul accedentibus i. e. ex hæmorrhagia & consequenter functionibus vitalibus extintis, vitam ac animam efflavit.

s. XXXIV. Tractant & autores, sub nomine morborum externorum, inflammationem, describunt, quod tumor sit rubicundus, æstuans, cum dolore pulsorio. Cum vero morbi externi ad Chirurgiam pertineant, & hæcce inflammatio in Chirurgia tractetur, ideo eandem ad chirurgos relegant, qui nunc suis spiritibus, cataplasmatibus, emplastris, unguentis &c. eandem mitigare tentant. Experientia autem teste, sœpe ex inflammatione simplifici, faciunt gangrenam, sphacelum, & sic mortem introducunt. Hicce nunc ægrotus, anne ex morbo i. e. inflammatione mortuus? autores affirmabunt; nego vero & eundem ex symptomatibus interiori, sequenti modo affirmo: nempe, hic affectus non est vere externus, quia a veris externis causis non provenit, sed a vitiis humorum & spirituum, quæ veræ omnium affectuum internorum sunt causæ; ergo & hic affectus internus est.

s. XXXV. Causa autem proxima, quatenus tumor rubicundus, est ipse sanguis stagnans in aliqua parte & Antecedens vitium, spirituum & quidem motus eorundem acceleratus progressivus: pro varietate autem sanguinis stagnantis i. e. si partibus salinis, acribus magis minusve commixtus sit, qui, substantiam membranosa ac nerveam partium, vellicat, & a remedii inepte applicatis, & intestinus spirituum motus acceleratus ac inordinatus oritur, qui M. S. in par-

FINIS

parte affecta resolutionem introducit, ac, si hic motus spirituum animalium, non mitigatur, summus gradus inflammationis i. e. gangrena exinde provenit & post modum motus hicce progressivus ac intestinus, summe acceleratus & spiritibus vitalibus, in sanguine refluenti haerentibus, communicatur, hinc vibices. Tandem vero oritur plenaria mortificatio membra laesi i. e. sphacelus, si sanguis totaliter vitalitate defitetur, qui & momentanee spiritibus reliquarum partium communicatur, qui ob ingratam sensationem remanent, nec influunt, & sic circulatio sanguinis & ex hac respiratio prius, immixtum & tandem harum functionum usus, plane aboleatur, & sic ex hisce symptomatibus, provenit mors. Ergo & hujus infirmi interitus, non ex magnitudine morbi immediate, sed propter ignorantiam chirurghi, qui symptomata i. e. calorem, dolorem, juxta causas, non rationaliter & legitime mitigavit, ac ex symptomatibus ultimato supervenientibus i. e. functionibus vitalibus laesis, tandem fuit introductus.

§. XXXVI. Ex hisce nunc patebit, quam imbecillia sint fundamenta Pathologica autorum; dum enim hodiernis temporibus morbus primarius ut plurimum negligitur, nec causae in legitime connectione traduntur, aliter evenire non potest, quam quod & illegitima indicantia ac indicationes ex inde orientur, & sic ex collectione symptomatum, neglecta formalizare morbi, tota nostra Pathologia haec tenus cognita, confitata, & cura instituatur, non rationalis, sed pure empirica, saepissime cum maximo detrimento & morte sepe inopinata ac improvisa aegrorum, juxta hasce regulas artis.

XXXVII. Si autem ha indicationes desumerentur ex causis vere internis i. e. humoribus ac spiritibus vitiiosis, longe melior Theoria ac postmodum utilior cura, exinde institui posset, quod in adductis morbis demonstratum, & per omnia morborum genera demonstrare possem, nisi me pagellæ, huic dissertationi destinatae, avocarent. Interim concludo, non solum aegroti, in morbis internis & quidem acutis, ex febre ardente, maligna ac apoplexia, in morbis chronicis, ex calculo, hydrope & podagra, in morbis externis, ex vulnere ac inflammatione, non moriuntur, sed etiam in reliquis morbis omnibus, nullus hominum moritur, nec mori potest ex morbo, sed omnes ex symptomatibus supervenientibus, ultimate functiones vitales abolitas introducentibus, hisce enim integris & prefactis, vivimus & hisce nonnisi extintis, morimur.

¶. XXXVIII. Cui, coronidis loco, adhuc hæc apponam, quod inique & contra conscientiam judicetur, hominem mortuum esse, si externe functiones animales desinant, & apparenter saltet, externe etiam functiones vitales, quippe pulsus & respiratio cessare videantur & apparent, quamdui enim cordis & pulmonum functio, seu motus, pro emitendo & recipiendo sanguine & aere, non plenaria & omnimode, extinctus fuerit, tamdui vere & absolute, homo mortuus dici nequit. Ergo ultimato omnis aegrotus, hisce functionibus plenarie extinctis & abolitis, vite subit

FINE M.

Ma 1683

f




56.

Rest / Schm

Jan. 26





**Farbkarte #13**



F.

DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICA,  
DE  
EO, QVOD  
**NEMO AEGRO-**  
**TORVM MORIATUR**  
**EX MORBO,**  
QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC  
**DOMINO**  
**DOMINO CAROLO,**  
BORVSSIAE PRINCIPE, MARCHIONE  
BRANDENBURGICO, RELIQUA,  
PRÆSIDE  
**FRIDERICO HOFFMANNO,**  
COLLEGII MEDICI h. t. DECANO  
**PRO DOCTORIS GRADV,**  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**CAROLVS SIGISMUNDVS Sieffers**  
BEROL. MARCHICVS.  
A. D. MAII M. DCC. XVII.  
H. L. Q. C.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
TYPIS JOHANNIS CHRISTIANI ZAHNL,  
Acad. & Senat, Hallensis Typogr.